B. N. C
FIRENZE
1016
30

1016.30

1216. 30

ORATIO CAESARIS NOBILIS

Luceñ. Equitis ac Iuriſconſulti Ha/
bita in publico Conſiſtorio,
ad Clementem . VII.
Pont. Max. Pro
obedien
tia.
Reip . Lucenſis.



Oratio Cæſaris ex familia Nobiliũ Luceñ. Eqtis ac Iuriſconſulti, habita in publico Conſiſtorio ad Clementem. VII. Pont. Max. Pro obedientia Reip. Lucenſis.

SI VLLA VNQVAM DIES ætati noſtræ felix illuxit, ſi ullo inquã tempore Pater Beatiſſime Chriſtiana Reſp. & ipſius Religio temporibus oppreſſa extollere iam caput, & aliquando recreata ſe erigere potuit, Id nunc diebus noſtris, quod ad ſummi Pontificatus ſedem aſſumptus ſis, Diuino numine conceſſum eſt. Gregis enim dominici Salus & cuſtodia, in tua Clementia, in tua ſumma Integritate, in tuo ſummo conſilio merito Conſtituta & collocata, certam ſpem, ſolidamque fiduciam Chriſtiano nomini propoſuit, & pollicetur, Vt tua prudentia calamitatibus liberata, uere uideatur aliquando omnibus gentibus & nationibus, terra mariqꝫ tuta & tranquilla. Ignoſcat igitur Clementia tua Pater Sanctiſſime, ſi patriæ noſtræ uotis ac deſiderio, & diuini culminis Sanctitatis Tuæ amplitudini, in tanta ciuium noſtrorum gratulatione non ſatis digne fecerimus, aut dixerimus. Scimus enim difficillimum ſemper extitiſſe, uehementiſſimis affectibus orationis uim parem aptare, quando ii uultu & fronte facilius & melius ſæpenumero reddi poſſunt. Sicuti enim ea quæ corpus afficiunt, nemo melius explicita poteſt cæteris facere quã is qui proprio ſenſu p̃mit̃, ita ea q̃ intimã animi ſedẽ attingunt, nemo uberius effuſiuſqꝫ

poteſt p̃ſeferre,quam is ad quem primo loco perinet uni/
uerſa ratio. Minus tamẽ negotii nobis eſſe uidemus,agen
tibus et gratulantibus apud. S. T. Quæ iam diu noſtram
erga ſe & hanc ſanctam ſedem,fidem,obſeruantiã, & De/
uotionem nouit,& experta eſt.

Audita igit̃ optimi & feliciſſimi auſpicii.S.T.ad apoſtola
tus apicẽ aſſumptiõe.P.B.Luceñ. Ciuitas quam referimus,
quãtum gaudii,quãtũq; lætitiæ & gratulationis effuderit,
ſignis quibus animi pars minima exprimeretur,oſtẽdit. Pu
blicæ per dies cõtinuos ſupplicatiões, ac Deo immortali
gratiſſimæ laudes,nocturni ignes frequẽtes & aſſidui, Exul
tantium ciuium clamor,tubarum clangor,& ſonitus teſtes
ſunt.ædes ſacræ,templa, feſtæ frondes, parietes, Mœnia,
Turres,ſtudio tuæ gloriæ ac gratias agendi,& pro tuis æter
nis uirtutibus,cõmuniq; Chriſtiani nominis ſalute gratula
ri,gaudere,geſtire,uidebantur. Hæc igitur dies quam fe
cit Dñs.eam cuncti mortales Chriſti fideles,uotis, linguis,
& animo fauentes,merito celebrant,teq; Paſtorem Chriſti
uicarium & cõmunis ſalutis cuſtodem eſſe Lucenſes om/
nes Potiſſimum gloriamur & lætamur,Idq; tibi proprium
& perpetuum pro Maximis.B.T.uirtutibus & laudibus ex/
optamus, Pro his,quæ p̃ſertim ſunt,ſemperq; in te fue/
runt,ſolida & exp̃ſſa probitatis ſigna, proq; innata & tibi
propria Clementia,quæ ſemper eſt gratiſſima & officio ne
ceſſitudinis coniuncta maxime. Hæc eſt enim una uirtus,
non ſolum maxima ſed etiam mater uirtutum reliquarum,
Hæc Cæſarem inter deos retulit. Hæc inquam Clementia
Auguſtum conſecrauit. Hæc Antoninum Pii nomine or/

nauit. Hæc eſt demum illa quæ nos ſola æquales deo facit. Iure igitur. S.T. Clementis nomen aſſumpſit cũ re ipſa, ſemper Clementiſſima extiterit. Domum Medicam Florentiſſimã & Illuſtr. natã merito ꝑdicãt, ad Patriæ ſubſidiũ ad hetruriæ ſplendorem & ornamentum, ad totius Chriſtiani nominis tutelam & ſalutem. Quæ domus profecto Plena officii, Plena obſeruantiæ, plena Antiquitatis, omnes ſibi principes & nationes beneficiorum aſtrinxit teſtimonio ſempiterno, ne de nobis tantum Lucenſibus prædicemus, qui a ſummis illis uiris totius hetruriæ luminibus Coſmo & Laurentio, perpetuis & ampliſſimis ſemper ſumus affecti beneficiis. Quæ uero nuper maxima a .S. Leone . X .ſunt in noſtram Ciuitatem Collocata, nulla unquam ex Lucenſiũ cordibus delebit obliuio, qui populũ & Ciuitatem noſtrã in ſuam & huius ſacri Collegii protectionẽ ultro ſuſcepit. ſuſceptam fouit, liberam conſeruauit, ſoſpitem eſſe uoluit. AT uero P.B. Chriſtianæ ſalutis cuſtos & lumen non ſolũ Domus Medices tibi laudem & originem uendicas, Sed cum ea in te ſit rerum humanarum ſcientia, ſingularis uirtus, clariſſima autoritas, Egregia fortuna, ut nulla res tanta ſit, tanq̃ difficilis, quam non & conſilio regere, & integritate tueri, & uirtute conficere poſſis, Diuino nutu tanquam cœlo demiſſus ſedandis fluctibus Rei. P. Chriſtianæ & afflictæ fortunæ clariſſimum lumen & profugium effulges. Cumq̃ potiſſimum ætate noſtra uix ulla ciuitas ſancta, nulla domus ſatis clauſa, Rariq̃ hominum ab alienis liberis, a coniugibus, ab auro, manus, oculos, animum, ſatis cohibeant, effectum eſt, ut Ius, æquitas, leges, libertas, pudor, pudi

citia,& Deo immortali ſacra religio iuſtis honoribus & me mori mente inter Chriſti fideles per te tuamq; prudentiam in futurum permaneant ac obſeruentur. Innumerabiles Sanctitatis tuæ uirtutes,ipſiuſq; ingentia merita effecerũt, ut ſacroſanctum Reuerendiſſimorum Dominorum Collegium unanimi conſenſu,diuina ſuggerẽte Clementia,te in Chriſti uicarium potiſſimum eligerent & ſalutarent. Magna profecto tua laus eſt Pater Sancte,Sed maius meritum tam Syncerum & integrum tot Reuerendiſſimorũ patrum iudicium retuliſſe.Nec multo inferior ipſorũ laus,qui optimi cenſeri debeant,cum ipſi tanquam Duces & Signiferi de optimo paſtore & Clementiſſimo proſpexerint Dominico gregi laboranti,ac iam fere cædenti efferato Chriſtiani nominis hoſti arma tenenti,expugnata Rhodiorum diſciplina & nauali gloria, Belgrado uero, quod priſcis Taurunum eſt, tutiſſimo propugnaculo,chriſtiano adhuc ſanguine redundante. Sed chriſtianam Remp. multis undiq; cinctam periculis Pater Beatiſſime,Pace inter Principes fideles firmata,uel terrore Belli, uel celeritate conſilii S.T.facile tuebitur & conſeruabit. Tribuit.n. tibi Deus optimus(hæc ipſa præoſcens)iſtius ampliſſimi ac latiſſimi regni ſolium tuis uirtutibus debitum,Qui tua probitate Chriſti uicarius fueras,antequam fieres. Cæterum.P.S. ut ampliſſimo negotio breuem finem Imponamus. S. T. Clemẽtiſſimæ uniuerſus populus Luceñ pro quo loquimur,fideliſſime gratulatur, tuo numini ac Clementiæ ſe, ſalutemq; ſuam,Bona omnia,liberos,fortunas, libertatẽq; cõmendat.Ipſiuſq; noĩe ea animi deuotione & cordis ſyn

ceritate,quibus ab optimo mortali pſtari pōt.S . T.debitā & obſequentiſſimam obedientiam præſtamus , Teq; uerū chriſti uicarium & paſtorem profitemur,colimus, adora, mus,& ueneramur.Tu Pontificum maxime & Clementiſſi me deuotos Lucenſes ſuſcipe,Tuere,protege,foue,conſer ua,ueros.S.T.& Sacroſ. R.E.fideliſſimos ac deuotiſſimos filios.Ita rogamus, obteſtamur & depcamur. Sic ſummus ille Rex cœli & terræ cuius numine regis & gubernas . S.T. protegat,greſſuſq;.T.B.dirigat in uiam ſalutis , ut te guber nante ſit cuncto populo chriſtiano Pax Sempiterna.

Romæ Anno . M.D.XXIIII.menſe Februario.

Z 1016
30

aa 955971

MC